

De philosophia stoica eiusque relatione ad christianismum.

Grandis mirabilisque profectus, quem in philosophia Graeci sapientes sunt assecuti! In nullis vix adtinguntur, nedum ut vinci possint. Natura favente non minus viribus animi ingentibus praediti, ac studio nixi et industria semper nova atque maiora adipisci conabantur. Omnes magno ad pulcherrima impetu properandum esse censebant; quilibet cum philosopho cogitasse videtur: „Instemus itaque et perseveremus, properemus, ita demum vita beneficium erit, alioquin mora est, et quidem turpis! Non cum vacaveris, philosophandum est: omnia alia negligenda sunt, ut huic adsideamus, cui nullum tempus satis magnum est, etiamsi a pueritia usque ad longissimos humani aevi terminos vita producitur.“¹⁾

Praecipue Socrates, Plato, Aristoteles, praeclara illa philosophorum lumina, principia invenerunt, ingeniosissime disposuerunt docueruntque, quae legis instar inviolabilis in scientiarum thesauro valebunt semper. Ad ipsos probabiliter pertinet illud Ciceronis sagacissimi: „Antiquitas, inquit, quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat.“ Iure quidam laudes Platonis celebravit: „Tu Platonem nec nimis valde nec nimis saepe laudaveris.“

Quorum eruditas traditiones numerosi discipuli fideliter observabant et theses singulares propriis contemplationibus laxius explicabant. Inter quos eminent Zeno Citiensis de insula Cypro (342—270. a. Chr.). Anno XXII. suae aetatis Athenas venit ibique ex variis scriptoribus Socratis doctrinam didicit, deinde vero Cratem Cynicum et Polemonem Academicum diligentissime audivit magistros. Post XX annos ipse docere exorditus est et usque ad mortem magistri fungebatur munere. Auditores suos in splendida, quam Polygnotus picturis magnifice exornaverat, porticu colligebat; propterea schola eius „de porticu“ (*στοά*) nomen gerebat discipulique Stoici adpellari coepti sunt, *οἱ ἐκ τῆς στοᾶς ποικίλης φιλόσοφοι*. Cleanthes, summae fortitudinis vir morumque conspicuus austeritate (331—251. a. Chr.), systema eius est persecutus; Perseus, Aristo, Herillus Carthaginiensis, Aratus poeta, Chrysippus (281—208.), Erasthostenes Cyrenensis posterius adseclae ferventiores feruntur.

Saeculo tertio a. Chr. philosophia stoica Romae Diogene, Chrysippi illius discipulo, auctore innotuit multique ipsi adhaesisse traduntur. Sed postea eius fautores quibusdam imperatoribus infestis varias persecutiones passi sunt;

¹⁾ Senec. Epist. mor. VIII. 71, 36 et 72. 3.

ipsi enim tamquam contumaces accusabantur ac refractarii, contemptores magistratum ac regum eorumve, per quos publica administrantur, velut iuventutis corruptores ex urbe abire sunt iussi. Nihilo secius Stoicorum doctrina Ciceronis, oratoris clarissimi, operibus, imprimis vero Senecae, philosophi excellentissimi, scriptis publice tradebatur et diem ex die plures adlectavit sectatores. Marcus Aurelius denique, imperator et victoriis et studiis celeberrimus, arcem coruscam illi in monte Palatino aperuit.

Sed Stoicorum systema paulatim contabescebat; sententiae eius et institutiones ingenti christianae veritatis incursui cesserunt solique historiae manserunt discutiendae.

„Rigidam ac virilem sapientiam“ Stoicos Seneca docuisse testatur¹⁾ et „inter Stoicos et ceteros philosophos tantum interfuisse, quantum inter mares et feminas“;²⁾ „nullam sectam benigniorem lenioremque fuisse, nullam amantiorem hominum et communis boni adtentiorem, nec sibi tantum, sed universis singulisque consuluisse.“³⁾ Eos „omnia vera dilexisse, fidelia, simplicia, constantia, odioque habuisse vana, falsa, fallentia, ut fraudem, periurium, malitiam, iniuriam“ Cicero contendit⁴⁾ eorumque systema ei adparet quasi „quiddam amplum atque magnificentum ad imperandum magis quam ad parendum ad commodatum, omnia humana non tolerabilia solum, sed etiam levia ducens, altum quiddam et excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum“

Similes laudes uberrimas iis et alii tribuerunt amici.

At plus nostra interest philosophiae ipsius stoicae quam eius historiae et momenti.

Quid igitur Stoici docuerunt? Qualis eorum sapientia fuit?

I.

Plurimi philosophiam in partes diviserunt tres: logicam, physicam, ethicam; Cleanthes logicae rhetoricam, ethicae politicam, physicae theologiam adiunxit.

Logicae nomen dedisse Zeno traditur, Aristoteles enim alique priores scriptores illam categorias, perihermeneiam, elenchos, vel communiter organum adpellaverunt. Quod attinet ad logicam, quippe quae „scientia sit directiva rationis humanae in cognoscenda veritate“,⁵⁾ Stoici semper fere secuti sunt suos magistros. In rhetoricam ipsam partiebantur et dialecticam; illa nostrae grammaticae, haec logicae sensu strictiore congruit; ad dialecticam criticam adnectebant, quae principia suprema, quibus nititur certitudo nostrorum iudiciorum, rimatur, ut verum a falso in ipsis iudiciis mens discriminare valeat; dialectica in genere logicae formali, critica logicae respondet materiali.

In dialectica non multum laborabant Stoici; Aristotelis regulas in usum suum converterunt, summum quoad iudicia, i. e. mentis actus, quibus

¹⁾ Dialog. XII. 12, 4. — ²⁾ ib. 1, 1. — ³⁾ De clement. II. 5, 3. — ⁴⁾ De fin. II. 14, 46.
⁵⁾ Zigliara, Summa philosophica, Proleg. IV.

aliquid esse adfirmamus vel negamus, et quoad syllogismos, qui sunt sententiae, quibus mens a principiis abstractis et universalioribus ad magis composita et particularia descendit, quaedam ampliaverunt.

Maximi vero *methodologiam* aestimaverunt, i. e. artem syllogismo ordinate et sapienter procedendi in cognitionem veritatis vel errorem refutandi; εὐχρηστάτην δέ φασιν εἶναι τὴν περὶ τῶν συλλογισμῶν θεωρίαν. τὸ γὰρ ἀποδεικτικὸν ἐμφαίνειν ὑπερ συμβάλλεσθαι πολὺ πρὸς διόρθωσιν τῶν πραγμάτων¹⁾. Principia sua ut contra omnes munirentur Stoici fortissime intendebant, etiam contra eos, de quibus Aquinates Aristotelem libr. II. *Metaphys.* explanando loquitur: „Quidam non recipiunt, quod eis dicitur, nisi dicatur per modum mathematicum; alii vero sunt, qui nihil volunt recipere, nisi proponatur eis aliquod exemplum sensibile; quidam vero sunt, qui nihil reputant esse dignum ut aliquid eis inducatur absque testimonio poetæ vel alicuius auctoris.“

Syllogismos condicionales et disiunctivos tamquam unice convenientes praeter ceteros Stoici coluerunt.

Quod ad *criticam* pertinet, a prioribus philosophis differunt. Critica consignat „principia seu media, quibus nititur humana mens ad rerum certitudinem capessendam.“²⁾ Sceptici contra dogmaticos veritatem inveniri nequaquam posse contenderunt; Peripatetici postque eos philosophorum pars multo maior criteria assequendae veritatis et motiva, quae mentem inducunt vel potius cogunt ad adsendendum alicui veritati, distinguunt in extrinseca, qualis est auctoritas humana, et intrinseca, quae sunt alia subiectiva, nempe facultates cognoscitivae, alia obiectiva, scilicet veritates vel axiomata, quibus ut principiis in ratiocinando utimur.

Stoici *empirismo absoluto* favent. Animam humanam nato homine tabulae rasae aequalem esse dicunt; postea vero res externas animae imprimi sicut sigillum in cera. Quas impressiones (τύψεις) „phantasias“ nominant: Φαντασία μὲν οὖν ἐστὶ πάθος ἐν τῇ ψυχῇ γινόμενον, ἐνδεικνύμενον ἑαυτὸ τε καὶ τὸ πεποιηκός, φανταστὸν δὲ τὸ ποιοῦν τὴν φαντασίαν.³⁾ Unde Stoicos tales impressiones obiectorum externorum criteria unica posuisse patet. „Comprehensio (πρόληψις) facta sensibus et vera Zenoni et fidelis videbatur; non quod omnia, quae essent in re, comprehenderet, sed quia nihil, quod cadere in eam posset, relinqueret, quodque natura quasi normam scientiae et principium sui dedisset, unde postea notiones rerum in animis imprimerentur.“⁴⁾

Alia criteria Stoici negant omnia. Ex phantasiis illis memoriam fieri, ex hac iterum experientiam oriri adseruerunt; experientia cooperante syllogismis mentem ad ipsas ideas, quas Aristoteles vocat innatas, ad principia prima, axiomata, progredi posse, quae principia πρόληψεις vel κοινὰ ἔννοιαι seu notitiae communes ab ipsis dicuntur. Quinimmo et ad notionem boni et dei solum hoc modo mentem aiebant posse pervenire. „Cum enim ab iis rebus, quae sunt secundum naturam ascendit animus collatione rationis, tum ad notitiam boni pervenit.“⁵⁾

¹⁾ Diog. VII. 45. cfr. Zeller, *Die Philosophie der Griechen* pag. 47. — ²⁾ Zigliara *Logicae* pars alt., prolog. — ³⁾ Plot. pl. phil. IV. 12. Zeller l. c. pag. 30. — ⁴⁾ Cic. *Acad.* I. 11, 42. cfr. Willmann *O. Gesch. d. Idealismus* I. pag. 578 s. — ⁵⁾ Cic. *Fin. bon.* III. 10.

Compositione variarum notionum ratiocinando scientiam nasci docebant, quae persuasio sit inconcussa nec ullis obiectionibus reiicienda, *κατάληψις ἀσφαλής καὶ ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου.*

In quo autem veritatem consistere putabant? Veritas secundum eorum systema illa seu talis rei phantasia vel impressio est, quae rem ita in anima nostra ostendit, sicut revera est. Sed quaeri amplius potest: Quenam est talis phantasia? Stoici respondent: Ea, quae se menti ita obicit, ut eam adprobare debeamus. Ergo: Adprobatio nostrae mentis vel iudicium, quo veritatem, i. e. congruentiam inter impressionem et inter obiectum externum, admittere cogimur, est demum summum criterium veritatis. Quasdam vero res ita dicunt animo nostro imprimi, ut resistere minime possimus, quin illas adprobemus, quales impressiones *φαντασίας καταληπτικάς* adpellant; eas sentiunt evidētia immediata gaudere. „Zeno visis (*φαντασίαις*) non omnibus adiungebat fidem, sed iis solum, quae propriam quandam haberent declarationem earum rerum, quae viderentur: id autem visum, cum ipsum per se cerneretur, comprehensibile.“¹⁾

Quam argumentationem doctrinae peripateticae adpropinquare et systemati Stoicorum stricte sumpto repugnare nemo non videt.

De metaphysica generali seu ontologia, i. e. de natura transcendentium, varias defendi sententias supponimus. Nominalistae docent universalialia (transcendentia) obiectivi nihil in se referre, sed esse meras voces in sermone usitatas; Abaelardi conceptualismus universale realiter non existere extra mentem, sed existere idealiter in anima contendit; Plato „posuit praeter ista corporalia aliud genus entium a materia et motu separatum, quod nominabat species sive ideas, per participationem unumquodque istorum singularium et sensibillum dicitur vel homo, vel equus, vel aliquid huiusmodi . . .“²⁾ „ponebat formas sensibiles, quae sunt in materia corporali, effluere ab ideis, sicut quasdam earum similitudines; ita ponebat species intelligibiles nostri intellectus esse similitudines quasdam idearum ab eis effluentes.“³⁾ Quod Platonis systema realismi gerit nomen. Aristoteles et omnes fere Scholastici realismum temperatum defendunt sentientes, universale realiter existere extra mentem non solum in Deo, sed in ipsis etiam individuis realiter existentibus.

Stoici universalium existentiam negant asserentes: praeter corpora nihil aliud realiter existere. *ὄντα γὰρ μόνον τὰ σώματα καλοῦσιν, ἐπειδὴ ὄντος τὸ ποιεῖν τι καὶ πάσχειν.*⁴⁾ Substantiam ipsam et animam humanam et deum corpora esse dicunt; quinimmo rerum quoque proprietates, quasi aëris motu productas, etiam virtutes et vitia corporibus adnumerant. „Quod facit corpus, est: bonum agitat animum et quoddammodo format et continet; quae ergo sunt propria corporis, ea corporis bona sunt: corpora ergo sunt et quae animi sunt, nam et hic corpus est; bonum hominis necesse est corpus sit, cum ipse corporalis; si affectus corpora sunt et morbi animorum et avaritia, crudelitas, indurata vitia, ergo et malitia et species eius omnes, ergo et bona.“⁵⁾ Etiam veritas corpus est, quippe quae corporis impressionibus fiat in mente; corpora esse dicunt affectus, notiones,

¹⁾ Cic. Acad. I. 11, 41. — ²⁾ S. Thom. Sum. Theol. P. I. quest. 84. art. 1. p. — ³⁾ ib. quest. 84. art. 4. p. — ⁴⁾ Plut. comm. not. 30, 2. Zeller I. c. pag. 48. — ⁵⁾ Senec. epist. 106, 4.

iudicia, quae omnia influxu materiali, aerae motione, per πνεύματα, orta sint. „Non puto te dubitaturum an affectus corpora sint, tamquam ira, amor, tristitia; si dubitas, vide an vultum nobis mutent . . . Tam manifestas corporis notas credis imprimi, nisi a corpore?“¹⁾ Chrysippo auctore etiam dies et nox, mensis annusque corpora adpellanda sunt, quae certam quandam mutationem terrae et solis nec non eorum relationem diversam significant. Solum tempus, spatium, propositio (λεκτόν) „entia incorporea“ esse dicuntur.

Ex quibus Stoicos materialistas κατ' ἐξοχήν fuisse constat.

Pro decem Aristotelis categoriis quatuor tantum supponunt, τὰ γενεώτατα cognominatas: substantiam (ὑποκείμενον vel οὐσία), essentiam (τὸ ποιόν), proprietatem (πὼς ἔχον), relationem (ad alias res, πρὸς τι πὼς ἔχον).

Valde gravis momenti ad cognoscendum Stoicorum systema est physica eorum. In cosmologiam et aetilogiam illam dividerunt, prior de mundo eiusque origine, posterior de causis rerum tractat. Id, vi cuius aliquid, quod vocatur effectus, producitur, causa sonat. Stoici, utpote materialistae austeri, et causas et effectus omnes non nisi materiales, corporales, esse defendunt. De origine rerum sic cogitabant: In principio erat materia quaedam, στοιχεῖον dicta; ex illa tempore longiore omnia nascebantur deo non excepto, vel clarius secundum quosdam Stoicos dicendum: haec ipsa materia nil aliud nisi divinitas erat. Si illam respectu principii efficientis consideres, deus est, respectu vero effectus producendi, universalitas, mundus est. Δοκεῖ δ' αὐτοῖς ἀρχάς εἶναι τῶν ὄλων δύο, τὸ ποιῶν καὶ τὸ πάσχον; τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἀποιον οὐσίαν τὴν ὕλην, τὸ δὲ ποιῶν τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν θεόν. τοῦτον γὰρ ὄντα ἀίδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἕκαστα.²⁾

Divinitas Stoicorum opinione est vis productiva illius aeternae materiae, sed vis non nostro sensu quasi quid imponderabile, immateriale esset, sed vis est spiritus aëris materialis, πνεῦμα, omnia perpenetrans, omnia disponens suaviter, omnia ordinans, omnia vivificans. Plurimi ipsum (spiritum scil.) e sole progredi putant et propterea istum in igne, ἐν τῷ πυρί, in vehemēti calore, essentialiter consistere oportere. Quam opinionem confirmat illud celebre Cleanthis effatum: „Solem dominari et rerum potiri!“ „Zeno statuebat ignem esse ipsam naturam.“³⁾ Δοκεῖ δ' αὐτοῖς τὴν μὲν φύσιν εἶναι πῦρ τεχνικὸν ὁδῶ βαδίζον εἰς γένεσιν, ὅπερ ἐστὶ πνεῦμα πυροειδὲς καὶ τεργοειδές.⁴⁾

Propterea — sic concludunt — universalitatem, τὸ πᾶν, dicendam esse divinitatem. „Quid enim aliud est natura quam deus et divina ratio toti mundo partibusque eius inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare: et Jovem illum optimum ac maximum rite dices et tonantem et statorem; qui non ut historici tradiderunt, ex eo quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant beneficio eius omnia, stator stabilitorque est. Hunc eundem et fatum si dixeris, non mentieris; nam cum fatum nihil aliud sit quam series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua ceterae pendent. Quaecumque voles illi nomina proprie aptabis vim aliquam effectumque coelestium rerum continentia:

¹⁾ ib. epist. 106, 5. — ²⁾ Diog. VII, 134 Zeller pag. 70. — ³⁾ Cic. Acad. I, 11. —

⁴⁾ Diog. VII, 156 Zeller pag. 75.

tot adpellationes eius possunt esse quot munera¹⁾ De Jove disputans Seneca : „Vis, inquit, illum fatum vocare: non errabis; hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum providentiam dicere: recte dices; est enim cuius consilio huic mundo providetur, ut inoffensus exeat et actus suos explicet. Vis illum naturam vocare: non peccabis; hic est, ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum: non falleris; ipse enim est hoc, quod vides totum, partibus suis inditus, et se sustinens et sua. Idem Etruscis visum est et ideo fulmina dixerunt mitti a Jove, quia sine illo nihil geritur²⁾ Eadem legimus apud Ciceronem subtilem: „Chrysippus . . . Stoicorum vaferrimus interpret . . . ait vim divinam in ratione esse positam et in universae naturae animo atque mente; ipsumque mundum deum dicit esse et eius animi fusionem universam; tum eius ipsius principatum, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universam atque omnia continentem; tum fatalem vim et necessitatem rerum futurarum; ignem praeterea et eum, quem ante dixi, aethera; tum ea, quae natura fluerent atque manarent, ut et aquam et terram et aëra; solem, lunam, sidera, universitatemque rerum, qua omnia continerentur, atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consecuti. Idemque disputat aethera esse eum, quem homines Jovem adpellarent; quique aër per maria manaret, eum esse Neptunum; terramque eam esse, quae Ceres diceretur; similique ratione persequitur vocabula reliquorum deorum³⁾

Stoici proinde et pantheistae sunt. Οὐσίαν δὲ θεοῦ Ζήνων μὲν φησι τὸν ὅλον κόσμον καὶ τὸν οὐρανόν.⁴⁾

Sed pantheistae non sunt Stoici ea, quam Spinozza vel Schoppenhauer aliique pantheistae recentiores docuerunt, significatione: mundum nempe visibilem esse accidens solummodo substantiae invisibilis, rationis absolutae, quae deus sit, sed hacce tantum significatione: ignem, materiae aeternae inhærentem, esse deum, causam universorum, et deinde mundum visibilem eiusque proprietates esse deum, omnia esse divinitatem sine ulteriore discrimine, τὸν ὅλον κόσμον καὶ οὐρανόν.

Ex igne aeterno mundum factum esse credunt. Principio enim, sic ratiocinantur, infinitum globum igneum, primigenium exstitisse; illum aevis ingentibus prolapsis in aërem et dein in aquam conversum esse; hanc aquam partim in terram, partim in caelum tenue transmutatum esse; ignem, aquam, terram, aërem quatuor esse elementa, ex quibus fiant omnia in universo. Ἡ δὲ πῦρ δὲ μεταβολὴ ἐστὶ τοιαύτη: δι' ἀέρος εἰς ὕδωρ τρέπεται: καὶ τοῦτου γῆς ὑφισταμένης ἀπὸ ἀναθυμιάται: λεπτυνομένου δὲ τοῦ ἀέρος ὁ αἰθήρ περιχεῖται κύκλῳ.⁵⁾ Post longius tempus fore, ut omnia iterum grandi incendio in ignem mutentur, qualis ab aeterno fuerit (καὶ πάλιν ἐκ τοῦτου τοιαύτην ἀποτελεῖσθαι τὴν διακόσμησιν οἷα πρότερον ἦν).⁶⁾

Cleanthes illud mundi incendium sole effici interpretatus est. Sed post quoddam temporis spatium de integro dicunt futurum esse, ut ignis in quatuor elementa dividatur et recenter fiant res mundanae. Tales immutationes conversionesque in aeternum fieri innumerabiles easque semper productum

¹⁾ Sen. de Benef. lib. IV. 7, 1—3. — ²⁾ Quaest. nat. lib. II. 45, 2. 3. — ³⁾ De nat. deor. I. 15, 39. 40. — ⁴⁾ Diog. VII, 148. — ⁵⁾ Chrysip. ap. Zeller pag. 80. — ⁶⁾ Zeller I. c. pag. 81.

iri. Omnia fieri, nasci, sed tempore suo denuo perdi. Solum ignem istum intrinsecum, materialem, manere putant et causam esse universorum, seminis similem.

Οὐδέ τι γίγνεται ἔργον ἐπὶ χθονὶ σοῦ δίχα, δαΐμιον,
οὔτε κατ' αἰθέριον θεῖον πῶλον οὔτ' ἐνὶ πόντῳ.¹⁾

Quia ignis ille ratione praeditus est, λόγος σπερματικός a Stoicis vocatur, ipsum, ut iam dictum est, deum esse arbitrantur, qui a populo Jupiter, Zeus, cognominetur.

Mundum excellenter perfectum esse omniaque pulchre in bonum et commodum hominis deique disponi sentiunt, meliorem mundum plane impossibilem esse. „Mundus perfectus undique est. Qui igitur potest ei deesse id, quod est optimum? Nihil est autem mente et ratione melius. Ergo haec mundo deesse non possunt.“²⁾ Mundum ita perfectum esse ducunt, ut omnia quae fiant, physice bona sint malumque in mundo omnino non existat, etiam morbos ipsamque mortem bonam esse, interitum enim cuiuscumque rei ipsius conversionem vel potius reditum in ignem, id est: in deum, esse.

Sed cur homo creatus est? Qualis eius finis? Cicero Stoicorum doctrinam interpretans respondeat: „Scite enim Chrysippus, ut clypei causa involucrum, vaginam autem gladii, sic praeter mundum cetera omnia aliorum causa esse generata, ut eas fruges atque fructus, quos terra gignat animantium causa, animantes autem hominum, ut equum vehendi causa, arandi bovem, venandi et custodiendi canem. Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum, nullo modo perfectus, sed est quaedam particula perfecti.“³⁾ Et alio loco: „Sed credo, deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique coelestium ordinem contemplantes imitarentur eum vitae modo atque constantia.“⁴⁾

Res universas Stoici in quatuor classes dividunt: in anorganica, plantas, animalia, homines. Sidera, stellas ratione divina exornatas putant esse una cum Platone et Aristotele. „Cum solis ignis similis eorum ignium sit, qui sunt in corporibus animantium, solem quoque animantem esse oportet et quidem reliqua astra, quae oriuntur in ardore coelesti, qui aether vel coelum nominatur.“⁵⁾

Hominem ex corpore et anima rationali compositum esse adfirmant animamque in sanguine, scil. in eius calore, consistere. Ipsam aliquid divini esse, μέρος καὶ ἀπόρροια θεοῦ, eam vivere usque ad incendium, quo omnia in ignem convertantur.

Quid de dei natura Stoici cogitaverint, ex dictis constat. Iuxta illorum opinionem deus est τὸ πᾶν, ignis, universi causa efficiens. Illum essentialiter unum esse oportet ipsumque coli proprie non posse, cum omnia ipsius partes divinae sint. Sed ne religionem populi offenderent, plures deos Stoici concedunt, religionemque et cultum deorum valde bonum et maxime laudabilem esse statuerunt. „Deos et venerari et colere debemus. Cultus autem deorum est optimus idemque castissimus atque sanctissimus plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce veneremur.“⁶⁾

¹⁾ Cleanth. hymn. V. 15 s. — ²⁾ Cic. De nat. deor. lib. II, 14, 38. — ³⁾ De nat. deor. II, 14, 37. — ⁴⁾ De senect. 21, 77. — ⁵⁾ Cic. De nat. deor. II, 15, 41. — ⁶⁾ Cic. De nat. deor. II, 28, 71.

Stoicorum systema monisticum polytheismum repudiat, propterea ingens illa deorum multitudo, quam Graeci Romanique adoraverant, nonnisi in plebis imaginatione existit. Deus unus est, Iupiter, ast vario respectu potest considerari et variis nominibus cognominatur, Πλωτώνιος est. Si tamquam aether, aura consideretur, Ἥρα (ἀήρ) vocatur, si tamquam ignis, Hephaistos, si ceu aqua, Poseidon etc.; Apollo sol est, Artemis luna, sed ad unum omnes solum partes unius Jovis sunt. —

Maximi momenti in Stoicorum philosophia ethica est. In omnibus aliis philosophiae partibus Stoici plus minusve priores scriptores secuti, in ethica nemini subiciuntur, sui sunt iuris, principia quae statuerunt, ab ipsis excogitata sunt.

Ethica seu philosophia moralis tractat de operatione humana, ordinata in finem, seu de homine, prout est voluntarie agens propter finem. Quae autem ordinantur ad finem, ex ipso fine naturam et momentum accipiunt. Omne agens propter finem agit, et finem esse oportet bonum, quod actio agentis consequi desiderat. Omnes actiones humanae, quae procedunt ab homine, voluntate operante procedant necesse est semper propter finem determinatum, i. e. propter aliquod summum bonum. Sed quaeritur, quidnam sit summum bonum, propter quod homo agit? S. Augustinus adnotat: „De finibus bonorum et malorum multa et multipliciter inter se philosophi disputarunt: quam quaestionem maxima intentione versantes invenire conati sunt, quid efficiat hominem beatum. De quibus inveniendis atque in hac vita summo bono adipiscendo, vitando autem summo malo, multum laboraverunt, qui studium sapientiae in huius saeculi vanitate professi sunt, nec tamen eos, quamvis diversis errantes modis, naturae limes in tantum ab itinere veritatis deviare permisit, ut non alii in corpore, alii in animo, alii in utroque fines bonorum ponerent et malorum.“¹⁾ Cyrenaici duce Aristippo supremum hominis bonum in sensualibus voluptatibus reponebant; alii in gloria, alii in potestate, alii in Deo illud consistere docuerunt.

Quaeritur amplius: quid de ultimo fine bonoque supremo Stoici sentiebant? Summum bonum virtutem esse dicunt. Hominem enim trahi amore sui ipsius, ut conservetur et omnimodo valeat; valetudinem vero hominis progredi a vita sapiente, bene ordinata secundum naturam, δμολογουμένως τῇ φύσει ἔσθιν, vitam autem sapienter dirigi et ordinari virtutibus — ergo, sic definiunt: virtutem summum bonum esse, in ipsa consistere supremam beatitudinem, εὐδαιμονία, εὖνοια βίου.

Sed gravis denuo oritur quaestio, quid virtus sit? S. Thomas Aristotelem sequens eam „bonam qualitatem mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur“ nominat. Stoici non sic. Ipsi putant hominem tunc recte, honeste vivere, cum actiones suas naturae conformet, vitam suam rerum ordini adaequet actionesque suas omnes voluntati dei, universitati videlicet, subiciat. Virtus est rationabilitas vitae, congruentia actuum humanorum cum ordine universorum. Quod Stoicorum ethicae dictum supremum est.

Ex quibus sequitur: virtutem bonam, honestam, utilem esse; extra illam nil aliud neque bonum, neque honestum, neque utile existere. Hinc illud

¹⁾ De Civitate Dei, lib. XIX., cap. I., n. 1.

Ciceronis: „Nihil utile, quod non idem honestum, nihil honestum, quod non idem utile sit. Dubitandum non est, quin nunquam possit utilitas cum honestate contendere.“¹⁾ Virtus et honestas et utilitas sunt idem in Stoicorum systemate. Pro iis bonum et id quidem unicum existit, et beatitudo idem ac virtus sonat. In virtute solum bonum subsistit; ex ea omne malum excluditur, propterea qui honestus est, malum prorsus pati non potest. Bonum et malum genere, non comparatione differunt. Quod bonum est, absolute bonum est, malum principaliter non admittit. „Ego assentior Diogeni, qui bonum definiit id, quod, esset natura absolutum (αὐτοτελέες), hoc autem ipsum bonum non accessione neque crescendo aut cum ceteris comparando, sed propria vi et sentimus et adpellamus bonum“, Cicero ait.²⁾ Similiter malum a bono omnino alienum est.

Honor, sanitas, divitiae, vita non sunt bona in se ipsis, eodem vero modo paupertas, morbus, mors non sunt mala; quae omnia ἀδιάφορα vocantur. Immo ne gaudium quidem, quod ex bona conscientia, i. e. ex firma persuasione alicuius de bono facto et virtutem colendo bonum est. Virtus in se ipsa et bona et felix et sibi omnino satisfaciens est. „Summum bonum in ipso iudicio est et habitu optimae mentis, quae cum suum implevit et finibus se suis cinxit, consummatum est summum bonum nec quidquam amplius desiderat.“³⁾

Homo honestus solus bonus et solus felix est, quousque talis manet; nihil, neque calamitates neque morbi neque mors felicitatem eius perturbare possunt. Ille nec offendi nec violari potest, cum virtus inviolabilis sit et invincibilis. Homo honestus nunquam patitur, dolor ipsi res ignota est; si torquetur, cruciatur, ignominia adficitur, hilaris manet, ira non corripitur, misericordia non movetur, divitiae ipsi non arident; saxi instar inconcussus persistit; sine adfectu, sine commotione, sine maerore eum esse oportet, ἀπαθὴ εἶναι τὸν σοφόν, monet Diogenes; omnia sustinet, omnia tolerat, omnia coërcet. „Huic summum bonum est in his rebus, neutram in partem moveri.“⁴⁾

Homo virtuosus omnia ratione deliberat et quidquid rectum cognoscit, operatur. Actus eius ex ratione progrediuntur, vita eius ratio absoluta est. „Quando virtus est adfectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos in quibus est et ipsa per se, sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis: ex ea proficiscuntur honestae voluntates, sententiae, actiones omnisque recta ratio; quamquam ipsa virtus brevissime recta ratio dici potest.“⁵⁾

Ex quibus patet virtutem proprie unam esse neque minuendam neque ampliandam. Aut existit aut prorsus abest. Tertium negatur. Ἄρεσκει δὲ αὐτοῖς μηδὲν μέσον εἶναι ἀρετῆς καὶ κακίας.⁶⁾ Similiter autem dicendum omnino malum esse, peccatis et vitiis omnibus obrutum, qui quodammodo malus sit. Ergo: sapientes absolute boni sunt, — amentes absolute mali. Homines igitur dividuntur in sapientes et amentes, priores boni, posteriores mali. Sapientes in se felices, diis aequales sunt, Iovem beatitudine aequiparant. „Inter bonos viros et deos amicitia est conciliante virtute; amicitiam dico? immo

¹⁾ De offic. lib. III., 3. — ²⁾ De fin. bon. III, 10, 33. — ³⁾ Sen. De vita beata, IX, 3.

⁴⁾ Cic. Acad. II., 42, 130. — ⁵⁾ Cic. Tusc. disp. lib. IV., 15, 34 s. — ⁶⁾ Diog. VII, 127. Zeller pag. 140.

vero etiam necessitudo et similitudo, quoniam quidem bonus tempore tantum a deo differt, discipulus eius aemulatorque et vera progenies, quam parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut severi patres durius educat. Itaque cum videris bonos viros acceptosque dis laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lascivire et voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia.¹⁾

En — principia generalia in ethica Stoicorum! In ethica speciali praecepta quoad singulos actus humanos proponuntur. Iam illa unica Stoicorum virtus in plures distribui solet species, ut facilius exerceri possit; sic in systemate adparent quatuor virtutes cardinales: sapientia, temperantia, iustitia, fortitudo, secundum Platonis divisionem: σοφία, σωφροσύνη, δικαιοσύνη, καρδία. Etiam Stoici experti sunt summi esse momenti has virtutes, ut Gregorius M. ait: „In his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit.“²⁾

Multa vero Stoicorum praecepta falsa, a iure naturae prorsus aliena, crudelia, omnino sunt reicienda. E. gr. post Socratem et Platonem etiam Stoici mendacium hic inde licere docuerunt, κατὰ στρατηγίαν in bello, κατὰ τὴν τοῦ συμφέροντος πρόβρασιν ob lucrum. Concedunt detestabilem polygamiam. Chrysippus pietatem erga mortuos repudiat; incredibile dictu: ipse et non prohiberi dixit quin caro humana edatur, omnesque alii Stoici usum carnis humanae admittunt. Quoad impudicitiam quoque horrenda vitia permittebant et talia occulte publiceque operabantur sine pudore.

Si quis a fato indigne puniatur, potest eorum doctrina etiam morte voluntaria (ἐξᾶγωγῆ) vitae finem ponere. „In somnum ituri laeti hilaresque dicamus:

Vixi et quem dederat cursum fortuna peregi!

Malum est in necessitate vivere; sed in necessitate vivere necessitas nulla est. Quidni nulla sit? patent undique ad libertatem viae multae breves, faciles; agamus deo gratias, quod nemo in vita teneri potest, calcare ipsas necessitates licet.³⁾ Mortem sibi conscicere non solum licere putabant, vero etiam laudabile et gloriosum adfirmabant. „In quo enim plura sunt, quae secundum naturam sunt, huius est in vita manere; in quo autem sunt plura contraria aut fore videntur, huius officium est e vita excedere. E quo adparent sapientis esse aliquando officium excedere e vita, cum beatus sit et stulti manere in vita, cum sit miser.“⁴⁾ „Quando continget omnibus obpressis adfectibus et sub arbitrium suum adductis hanc vocem emittere: vici? Quem vicerim, quaeris? non Persas nec extrema Medorum nec si quid ultra Dahos bellicosum iacet, sed avaritiam, sed ambitionem, sed metum mortis, qui victores gentium vicit. Vale!“ scripsit Seneca suo Lucilio.⁵⁾

Et revera vitae suae optimi sapientissimique Stoici vim intulerunt: Zeno, cum digitum fregisset, se suspendit, Cleanthes voluntaria fame mortem quaesivit invenitque, Eratosthenes et Antipater, Cato et Seneca multique alii se interfecerunt.

Quis non adtendat talem doctrinam et tam terribile exemplum perniciosum esse debere moresque iis non emendari, sed potius corrumpi! . . .

¹⁾ Senec. De provid. cap. I. 5. 6. — ²⁾ Moral. 2, 27. — ³⁾ Sen. Epist. 11, 9. 10. — ⁴⁾ Cic. Fin. bon. lib. III., 18, 60. — ⁵⁾ Ep. 71, 37.

Nihilominus vero Stoicorum philosophia nobilissimos et maxime ingenuos Graecos Romanosque quatuor saeculis, a Zenone usque ad M. Aurelium, incantavit; optimus quisque inter eos illo tempore ipsi adhaesit. Quinimo quidam stoicismum summae perfectissimaeque philosophiae, quae in christianismo patet, causam et quodammodo antecessorem fuisse putabant. Utrum iure an non — in parte altera videbimus.

II.

Dubitandum non est, quin Stoici multa de veritatibus egregie, sublimiter, eleganter docuerint. Semen illud veritatis caelestis, λόγος σπερματικός, quod in qualibet ratione clara et incorrupta valet, etiam in iis flores fructusque genuerit pulcherrimos. Inter Stoicos plurimi non turpis lucri gratia neque vana gloria commoti, sed tantum veritatis cognoscendae causa philosophiae operam dabant, et id quidem — nequaquam sine magna utilitate. Quaedam eorum principia philosophica ad veritatem puram, obiectivam, proxime accesserunt; quaedam praecepta ethica, quae statuerant, inter omnes philosophos aevi antiqui integerrima celebrentur necesse est. Mirandum in modum cum singularibus principiiis christianis congruunt ita, ut quidam christianismum ex philosophia stoica ortum esse dixerint et christianismum non esse nisi philosophiam stoicam emendatam et perfectiorem.

Contemplemur igitur utrumque systema in quibusdam principiiis, quo utriusque connexum melius cognoscamus! Audiamus Senecam, „qui ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit“,¹⁾ de providentia divina et gubernatione mundi loquentem cum Lucilio: „Supervacuum est in praesentia ostendere non sine aliquo custode tantum opus (mundum) stare nec hunc siderum coetum discursumque fortuiti impetus esse et quae casus incitat saepe turbari et cito arietare, hanc inoffensam velocitatem procedere aeternae legis imperio tantum rerum terra marique gestantem, tantum clarissimorum luminum et ex disposito relucentium, non esse materiae errantis hunc ordinem nec quae temere coierunt, tanta arte pendere, ut terrarum gravissimum pondus sedeat immotum et circa se properantis coeli fugam spectet, ut infusa vallibus maria molliant terras nec ullum incrementum fluminum sentiant et ex minimis seminibus nascantur ingenia“. ²⁾ Quam pulchre Cicero libro II. de natura deorum providentiam depingit verbis: „Philosophi debuerunt, si forte eos primus adspectus mundi conturbaverat, postea, cum vidissent motus eius finitos et aequabiles omniaque ratis ordinibus moderata immutabilique constantia, intellegere inesse aliquem non solum habitorem in hoc caelesti ac divina domo, sed etiam rectorem et moderatorem et tamquam architectum tanti operis tantique muneris. Nunc autem mihi videntur ne suspicari quidem, quanta sit admirabilitas caelestium rerum atque terrestrium. Principio enim terra, sita in media parte mundi, circumfusa undique est hac animabili spirabilique natura, cui nomen est aër. Ex aethere innumerabiles flammae siderum existunt Quis enim hominem dixerit, cum tam certos caeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque inter se omnia connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem,

¹⁾ Lactant. Instit. 5, 26. — ²⁾ Dialog. I. 1, 2, 3.

quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videamus, ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis: cum autem impetum caeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias cum summa salute et conservatione rerum omnium: dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti divinaque ratione¹⁾ Nonne comparanda sunt cum his locis verba biblica laudantia Deum: „Qui transtulit montes, et nescierunt hi, quos subvertit in furore suo; qui commovet terram de loco suo et columnae eius conculiuntur; qui praecipit soli et oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo; qui extendit caelos solus et graditur super fluctus maris; qui facit Arcturum et Oriona et Hyadas et interiora austri; qui facit magna et incomprehensibilia et mirabilia, quorum non est numerus! . . . Abundant tabernacula praedonum et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum. Nimirum interroga iumenta et docebunt te et volatilia caeli et indicabunt tibi; loquere terrae, et respondebit tibi et narrabunt pisces maris; quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit, in cuius manu anima omnis viventis et spiritus universae carnis hominis²⁾ Similiter Paulus Athenis in areopago locutus est: „Deus, qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt, hic caeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum, quaerere Deum, si forte attrectent eum aut invenient, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus et movemur et sumus, sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus³⁾ Eadem fere verba adhibet philosophus stoicus: „Totum mundum deorum esse immortalium templum, solum quidem amplitudine illorum ac magnificentia dignum.“⁴⁾

Cum ergo divinitas omnia disponat et dirigat, propterea et stoica et christiana philosophia postulat, ut homo providentiae divinae se totum subiciat. „Optimum est pati, quod emendare non possis, et deum, quo auctore omnia proveniunt, sine murmuratione comitari: malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia nec deseramus hunc operis pulcherrimi cursum, cui quidquid patimur, intextum est; et sic adloquamur Iovem, cuius gubernaculo moles ista dirigitur quemadmodum Cleanthes noster versibus disertissimis adloquitur:

Duc, o parens celsique dominator poli,
quocumque placuit; nulla parendi mora est.
Adsum impiger. Fac nolle, comitabor gemens
malusque patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Sic vivamus, sic loquamur: paratos nos inveniat atque impigros fatum; hic est magnus animus, qui se deo tradidit, at contra ille pusillus et degener, qui oblectatur et de ordine mundi male existimat et emendare mavult

¹⁾ De nat. deor. II. cap. 35, 90 et c. 38, 97. — ²⁾ Job. 9, 5 s. et 12, 6—10. — ³⁾ Act. 17, 24—28. — ⁴⁾ Sen. de benef. VII. 7, 3.

deos quam se.¹⁾ Auscultemus s. Pauli verba eiusdem tenoris: „Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors neque vita neque angeli neque principatus neque virtutes neque instantia neque fortitudo neque altitudo neque profundum neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.“²⁾

Ideo et stoica et christiana religio locis innumerabilibus docent nos quam maxime semper venerabundos et observantiae plenos de divinitate loqui oportere: „nunquam nos verecundiores esse debere, quam cum de dis agitur.“³⁾ „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et tota mente tua, hoc est primum et maximum mandatum!“⁴⁾

In supremo amore et obtemperantia Dei, in subiectione sub iudicia eius, virtus vera et propria consistit secundum Stoicorum opinionem. Inter omnes ethnicos philosophos maxime ii gravem necessitatem, ingens momentum, excelsum splendorem virtutis adseverabant et absolute exposebant. In quo cum christianis philosophis omnino consentiunt. Quoties apud hos et illos virtuti canitur laus! „Illud opto fortiter, quod est virtus. Dubitas, an optimum sit, memorabilem mori et in aliquo opere virtutis? Cum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur fortasse, una in promptu sit et maxime adpareat patientia; ceterum illic est fortitudo, cuius patientia et perpessio et tolerantia rami sunt. Indue magni viri animum et ab opinionibus vulgi secede paulisper! Cape, quantam debes, virtutis pulcherrimae ac magnificentissimae speciem, quae nobis non thure nec sertis, sed sudore et sanguine colenda est. Attalus Stoicus dicere solebat: Malo me fortuna in castris suis quam in deliciis habeat; torqueor, sed fortiter: bene est; occidor, sed fortiter: bene est! Uror, sed invictus; quidni hoc optabile est? optabile autem non quod urit me ignis, sed quod non vincit. Nihil est virtute praestantius, nihil pulchrius; et bonum est et optabile, quidquid ex huius geritur imperio.“⁵⁾

Persuasio firma constansque primis christianismi temporibus Stoicorum indefesso labore imperium Romanum peragravit inter omnia bona terrena optimam esse virtutem; optimum quemque fascinavit, nec dubitandum est, quin martyres christianos quodammodo inflammaverit, ut tormenta horrenda et incredibila sine metu, quinimmo gaudiis exsultantes perferrent. Hic fortissimi confessores vestigia stoica calcabant, cogitationibus actionibusque intenti, asperis blandisque pariter invicti, neutri se fortunae submittentis, supra omnia, quae contingunt acciduntque eminentes, pulcherrimi, ordinatissimi, imperturbati, intepidi, quos nulla vis fregisset! Tales martyres totus mundus admirabatur deque iis aiebat: „Ex quo ergo intelleximus virtutem? Ostendit illam nobis

¹⁾ Sen. Ep. 107, 10—12. — ²⁾ Rom. 8. 35—39. — ³⁾ Sen. Nat. quaest. VII. 30, 1. —

⁴⁾ Matth. 22, 37. — ⁵⁾ Sen. Epist. 67, 16.

ordo eius et decor et constantia et omnium inter se actionum concordia et magnitudo super omnia efferens sese. Alium vidimus adversus amicos benignum, adversus inimicos temperatum, et publica et privata sancte ac religiose tractantem, non deesse ei in his, quae toleranda erant, patientiam, in his, quae agenda, prudentiam; vidimus, ubitribuendum esset, plena manu dantem, ubi laborandum, pertinacem et obnixum et lassitudinem corporis anima sublevantem; praeterea idem erat semper et in omni actu par sibi, iam non consilio bonus, sed more eo perductus, ut non tantum recte facere posset, sed nisi recte non posset facere.¹⁾ Sic de virtutis praestantia semper christiani magistri sentiebant: „Ipsa virtus, si perfecta sit, facili facit animum invictum ad omnia. Est quippe vigor animi cedere nescius pro tuenda ratione; aut si magis probas, vigor animi immobiliter stantis cum ratione vel pro ratione, vigor animi, quod in se est, omnia ad rationem cogens vel dirigens.“²⁾ „Quam pulchre anima hominis bonis supernaturalibus a Deo ornatur! Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumenta iustitiae circumdedit me. Cognovi, quod si homo in statu gratiae constitutus, caritatem et aestimationem, qua apud Deum fruitor, cognosceret, prae excessu amoris interire deberet.“³⁾ „Tantus est splendor honestatis, ut vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiae et securitas innocentiae. Est beatitudo et in doloribus, quos plena virtus comprimit et coërcet, ipsa sibi domesticis opibus abundans.“⁴⁾

Stoici virtutem proprie unicam esse contendunt, ita ut virtus, in quo vere consistit, cum omnibus suis speciebus adsit. Etiam secundum doctrinam christianam omnes virtutes infusae, theologicae et morales, connexae sunt inter se caritate, ita ut cum caritate simul infundantur et permaneant et amittantur; hinc caritas, virtus sensu excellentissimo, dicitur vinculum perfectionis,⁵⁾ nimirum omnes in se connectit virtutes easque perficit. Egregie de hac re s. Thomas Aqu. sequens Augustinum celeberrimum et magis adhuc systemati Stoicorum adpropinquans disputat: „Bonus usus liberi arbitrii dicitur esse virtus secundum eandem rationem; quia scilicet est id, ad quod ordinatur virtus, sicut ad proprium actum: nihil est enim actus virtutis quam bonus usus liberi arbitrii.“⁶⁾ Mirandum, quomodo illa postrema verba doctoris Angelici principium Stoicorum aequiparent, quippe qui virtutem non nisi rationem integram, rationabilitatem vitae, esse adfirmant, sicuti iam exposuimus.

Stoici porro hominem, qui mali aliquid commiserit, virtutem totam simul perdere prorsusque malum deinde esse dicunt.⁷⁾ Quis hic non respiciet verba Salvatoris mundi: „Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum“,⁸⁾ aut verba Eius apostoli: „Quicumque autem totam legem servaverit, offendet autem in uno, factus est omnium reus.“⁹⁾

1) Sen. Epist. 120, 10—12. — 2) S. Bernard. In cant. serm. 85, 4. — 3) Dr. Müller, Theol. mor. lib. I. tit. IV. § 122. — 4) S. Ambros. De off. II. 1, 4. — 5) Coloss. 3, 14. — 6) Sum. Theol. 1.—2. quaest 55, art. 1. ad 2. — 7) Stob. II. 116, Zeller pag. 140. — 8) Matth. 5, 19. 9) Jac. 2, 10.

Insigne est Senecae, philosophi eminentissimi, carmen in sepulchro eius incisum¹⁾:

Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores,
ite, alias post hanc sollicitate animas!
Me procul a vobis deus evocat: illicet actis
rebus terrenis hospita terra vale!
Corpus avara tamen solemnibus accipe saxis
namque animam caelo reddimus, ossa tibi.

Nemo non videt nexum inter ultimum versum et illa verba biblica: „In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris“;²⁾ praesertim vero verba illa: „Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum“.³⁾

Valde conspicua nobis videtur descriptio incendii, quod princeps apostolorum futurum esse in fine huius aevi et fore, ut saeculum novum oriatur, adfirmat: „Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ea sunt opera, exurentur. Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales vos esse oportet in sanctis conversationibus et pietatibus, expectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem caeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent? Novos vero caelos et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.“⁴⁾ Vel aequalis locus in apocalypsi: „Et vidi caelum novum et terram novam. Primum enim caelum et prima terra abiit et mare iam non est.“⁵⁾ Similiter describitur mundi interitus apud Stoicos: „Tot supprimet (vetustas) montes et alibi rupes in altum novas exprimet; maria sorbebit, flumina avertet et commercio gentium rupto societatem generis humani coetumque dissolvit; alibi hiatibus vastis subducat urbes, tremoribus quatiet et ex infimo pestilentes halitus mittet et inundationibus quidquid habitatur obducat necabitque omne animal orbe subverso et ignibus vastis torrebit incendetque mortalia; et cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus exstinguat, viribus ista se suis caedent et sidere sideribus incurrent et omni flagrante materia uno igne quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit. Nos quoque felices animae et aeterna sortitae, cum deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis et ipsae parva ruinae ingentis accessio in antiqua elementa vertemur.“⁶⁾ „Ita ignis exitus mundi.“⁷⁾ „Ex quo eventurum nostri (Stoici) putant id, de quo Panaetium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, cum humore consumpto neque terra ali posset neque remearet aër, cuius ortus aqua omni exhausta esse non posset; ita relinqui nihil praeter ignem, a quo rursus animante ac deo renovatio mundi fieret atque idem ornatus oriretur.“⁸⁾ Talis opinio de fine et renovatione mundi viget apud Stoicos omnes; sed in s. scriptura nusquam invenitur praeter locos commemoratos, nisi excipias versum unum apud Isaiam prophetam: „Ecce enim — loquitur

¹⁾ Conf. Senecae opera quae supersunt ed. Frid. Haase, Lipsiae 1892. vol. III. pag. 482.
— ²⁾ Gen. 3, 19. — ³⁾ Eccle. 12, 7. — ⁴⁾ 2. Petr. 3, 10—13. — ⁵⁾ Apoc. 21, 1. — ⁶⁾ Sen. Ad Marciam, fin. — ⁷⁾ Id. Nat. quaest. III. 13, 2. — ⁸⁾ Cic. De nat. deor. II. 46, 118.

Deus — ego creo caelos novos et terram novam et non erunt in memoria priora et non ascendet in cor¹⁾

In his revera philosophia stoica cum christianismo congruit.

At — potestne hinc cum quibusdam scriptoribus aevi antiqui et recentioris concludi christianismum ex illa ortum esse? Minime! Christianismus philosophiae stoicae prorsus adversatur in plurimis. Licet ethica in nonnullis praeceptis ordinis naturalis, quae iam a ratione postulantur, cum doctrina christiana consentiat, physica vero eorum a principiis christianis omnino aliena est. Ideo dicendum: systema Stoicorum cum christianismo, utpote plane diversum, uniri nunquam posse.

Historia idem testatur. Justinus martyr († 167) stoicae philosophiae diligentissime operam dabat eamque optime cognoscebat; Stoicus autem non remansit, sed christianus factus pro vera religione mortem crudelem passus est. Idem fecerunt Clemens Alexandrinus, Pantaenus, Irenaeus, Tertullianus, Quadratus multique alii philosophi. Ex contrario autem videmus, quosdam Stoicos mansisse, cum christiani fieri nollent. Seneca utique christianismum cognovit; quam pulchre in litteris ad Paulum apostolum, quas A. Hieronymus in „catalogo sanctorum“ recenset, de ipso loquitur! In prima v. gr. ait: „Libello tuo lecto (Paule), id est de plurimis aliquas litteras, mira exhortatione vitam moralem continentem, usque refecti sumus. Quos sensus non puto ex te dictos, sed per te, certe aliquando ex et per te: tanta enim maiestas earum est rerum tantaque generositate calens, ut vix suffecturas putem aetates hominum, quibus institui et perfici possint.“ In quarta epistola ferventius etiam scribit: „Profiteor bene me acceptum lectione litterarum tuarum, quas Galatis, Corinthiis, Achaëis misisti, et ita invicem vivamus, ut etiam cum horrore divino esse exhibes; spiritus enim sanctus in te et super te excelsus sublimiores sanctis venerabiles sensus exprimit. Vellem itaque cures et cetera, ut maiestati earum cultus sermonis non desit. Et ne quid tibi, frater, surripiam aut conscientiae meae debeam, confiteor Augustum sensibus tuis motum; cui lecto virtutis in te exordio ista vox fuit: mirari eum posse, ut qui non legitime imbutus sit, taliter sentiat. Cui ego respondi solere deos ore innocentium effari, haud eorum, qui praevericare doctrina sua quid possint.“²⁾ Nihilominus vero Seneca Stoicus mori voluit, cum „christiana religio esset piscatorum“,³⁾ quam confiteri Romanum illustrem nobilemque dedeceret. Marcus Aurelius imperator eadem causa, quamvis fore spondisset, ut christianus fieret, et quamvis christianam illam legionem „fulminatricem“ adeo signasset, Stoicus permansit hostisque christianismi infensissimus.⁴⁾

Philosophia stoica et christianismus sibi invicem repugnant.⁵⁾

Negandum vero non est systema Stoicorum orto christianismo pro eiusdem dilatione maximi fuisse momenti illique vehementer favisse. Et quadruplici quidem modo:

I. Philosophia stoica religionem Graecorum et Romanorum destruebat; nam licet cultum deorum coram populo verbis defenderit, tamen inter

¹⁾ Is. 65, 17. — ²⁾ Haase, l. c. pag. 476s. — ³⁾ Dr. G. Weber, Allgem. Weltgesch. tom. 4. I. 1. cap. 4. — ⁴⁾ B. Erdmann, Grundriss d. Gesch. der Phil. tom. 3, pag. 176. — ⁵⁾ Annales de Philosophie chretienne 69 anné: Stoïcisme et christianisme.

philosophos eum irridebat et ipsum vanitatem, insaniam, amentiam esse declarabat. Quid Cotta pontifex Stoicus apud Ciceronem loquitur? „Quaeritur primum, inquit, in ea quaestione, quae est de natura deorum, sintne dii necne. Difficile est negare. Credo, si in concione quaeratur; sed in huiusmodi sermone et consessu facillimum. Itaque ego ipse pontifex, qui caerimonias religionesque publicas sanctissime tuendas arbitror, is hoc, quod primum est, esse deos, persuaderi mihi non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velim. Multa enim occurrunt, quae conturbent, ut interdum nulli esse videantur.“¹⁾ „Persaeus, eiusdem Zenonis auditor, eos dicit esse habitos deos, a quibus magna utilitas ad vitae cultum esset inventa, ipsasque res utiles et salutare deorum esse vocabulis nuncupatas. Iam vero Chrysippus magnam turbam congregat ignotorum deorum atque ita ignotorum, ut eos ne coniectura quidem informare possimus.“²⁾ „Non placet Stoicis singulis iecorum fissis aut avium cantibus interesse deum neque enim decorum est nec diis dignum nec fieri pacto ullo potest.“³⁾ „Et formae enim nobis deorum et aetates et vestitus ornatusque noti sunt, genera praeterea, coniugia, cognationes omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanae. Haec et dicuntur et creduntur stultissime et plena sunt futilitatis summaeque levitatis.“⁴⁾ Tali modo religio ethnica erui debuit; propterea multitudo gentium novam, veram religionem ardentem desiderabat.

II. Doctrina de necessitate et caelesti pulchritudine virtutis principiis christianis quam maxime profuit et corda nobilium ad suscipiendam religionem Christi praeparavit.

III. Stoici docuerunt omnia mundana esse vana ideoque spernenda, hominem ad finem altiore tendere debere; idem adfirmatur systemate christiano, cuius auctor solemnissime dixit: „Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?“⁵⁾ Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis.“⁶⁾

IV. Inter omnes philosophos ante Christum Stoici primi et unici omnes homines aequales et fratres inter se esse adserebant, quamvis haec eorum doctrina semper solummodo remaneret in ore et factis eam nemo ostendendam arbitraretur; haec opinio viam sternebat ad tollendam servitutem et ad destruendum discrimen inter Graecos Romanosve et inter barbaros, quod non tantum verbis docendum, sed etiam factis operandum esse Is efflagitarit, qui toties mandavit: „Diliges proximum tuum sicut te ipsum!“⁷⁾ qui „non e schola philosophica, sed de caelo venit.“⁸⁾

¹⁾ Nat. deor. I. 22, 61. — ²⁾ Ib. I. 15, 39. — ³⁾ Ib. I. 52, 118. — ⁴⁾ Cic. De nat. deor. II. 28, 70. — ⁵⁾ Matth. 16, 26. — ⁶⁾ Matth. 6, 33. — ⁷⁾ Luc. 10, 27. — ⁸⁾ Wölg. Menzel, Allgem. Weltgesch. tom. III. l. 10. cap. 2.

Prof. Dr. Ant. Medved.

